



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita
accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum
notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum
Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 120. Vtrum creatio admisceatur in operibus naturæ, & artis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

attribuitur creatio, quæ videtur opus potentia: Filio attribuitur creaturæ rerum ordinatio, & dispositio, quæ videtur opus sapientiæ; Spiritui Sancto tribuitur iustificatio, & beatificatio, quæ videntur opera bonitatis, ac misericordiæ. Dictum est quarto à creaturis intellectualibus repræsentari Trinitatem per modum imaginis, quia repræsentantur processiones Verbi, & Amoris, quæ sunt forma, vel quasi forma Trinitatis, ac diuinarum Personarum; à creaturis non intellectualibus Trinitatem repræsentari per modum non imaginis, sed vestigij, quia non repræsentantur duæ processiones, sed quædam alia, vt ex Augustino explicatum est.

QVAESTIO CXX.

Virum creatio admisceatur in operibus naturæ, & artis?

S. Th. qu. 45. art. 8.

1. Videtur primò, quod in omnibus operibus naturæ, & artis forma naturalis, vel artificialis creetur ab agente naturali, vel artificiali, ac proinde in operibus naturæ admisceatur creatio formæ. Nam quod de nouo producit, & non ex materia, tanquam ex parte sui, creatur: sed forma tum naturalis, tum artificialis producit de nouo, & non ex materia, tanquam ex parte sui: ergo creatur.

2. Secundò videtur, quod formæ substantiales non fiant ab agentibus naturalibus per generationem, sed à Deo per creationem. Nam agentia naturalia agunt per qualitates, & formas accidentales; sed per formas accidentales non possunt producere formas substantiales: ergo formæ substantiales non producantur ab agentibus naturalibus per generationem, sed à Deo per creationem.

3. Tertiò agentia naturalia producant sibi simile; sed quæ generantur ex putri non producantur à simili: ergo non producantur à generante naturali, ac proinde creantur à Deo.

4. Quartò quæ non creantur, non sunt creaturæ: ergo si quæ producantur à causis secundis non creantur, non sunt creaturæ, quod est hæreticum.

5. Respondéo certum est, quod in generatione hominis admisceatur creatio, siquidem anima rationalis creatur à Deo, vt dictum est in Philosophia quæst. 32. de anima. Queritur, vtum alia formæ præsertim substantiales creantur, ac proinde in omnibus naturalibus generationibus admisceatur creatio formarum, præsertim substantialium.

6. Antiqui inciderunt in duos contrarios errores. Primus error fuit eorum, qui ex vna parte putantes formas non posse de nouo incipere, nisi creentur ex nihilo, & ex alia parte,

existimantes absurdum formas in naturalibus generationibus creari ex nihilo, dixerunt formas præexistere actu in materia, in eaque latitare, ac in generationibus non incipere de nouo, sed solum manifestari, ac detegi. Secundus error est eorum, qui censuerunt formas non solum detegi, sed de nouo incipere per creationem, per quam creantur à Deo, vel ab aliquo alio agente separato.

7. Dicendum in generationibus naturalibus formas materiales non creari, sed educi ex potentia subiecti, & materiæ, in qua non præexistunt actu, sed solum potentia. Probatur: nam formæ materiales cum contineantur in potentia materiæ, possunt ex tali potentia educi: ergo non creantur, sed educuntur ex subiecto, & materia præexistentibus.

8. Addit Sanctus Thomas illud solum, propriè produci, & generari, quod propriè est; sed solum compositum propriè est, formæ autem non tam sunt, quam ijs compositum est; ergo formæ materiales non tam producantur, & generantur, quam comproducantur, & congenerantur ad generationem, compositi, & educuntur ex potentia materiæ. Videri possunt dicta à me in Physica, quæst. 10.

9. Ad 1. distinguo maiorem: quod de nouo producit, & non ex materia, tanquam ex parte sui, neque tanquam ex subiecto, ex cuius potentia educatur, creatur, concedo; quod de nouo producit ita, vt educatur ex potentia subiecti, creatur, nego: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Formæ substantiales materiales non creantur, quia educuntur ex potentia subiecti: ad creationem autem formæ requiritur, vt non educatur ex potentia subiecti præexistentis.

10. Ad 2. Licet agentia naturalia agant per accidentia, nihilominus per talia accidentia, tanquam per instrumenta substantiæ, possunt producere substantias, & formas substantiales educere ex potentia materiæ, vt explicatum est in Philosophia in lib. de Gener. quæst. 21.

11. Ad 3. Quæ nascuntur ex putri generantur à causis vniuersalibus, puta à corporibus coelestibus, tanquam ab instrumentis Intelligentiarum, & illis assimilantur similitudine quadam non vniuoca, sed æquiuoca, vt explicatum est in lib. de Gener. quæst. 21. & 22.

12. Ad 4. Quæ generantur à causis naturalibus sunt creaturæ, quia cum reducantur ad principia, & causas creatas ex nihilo, etiam ipsa saltem remotè facta sunt ex nihilo, quod sufficit ad hoc, vt propriè sint creaturæ.

De productione mundi ab eterno, vel in tempore.

Postquam S. Thomas qu. 44. & 45. egit de creatione, qu. 46. agit de productione mundi.

di, & tribus articulis examinat, vtrum vniuersitas creaturarum semper fuerit, vel potius inceperit in tempore: vtrum mundum incepisse demonstraretur, vel potius sit articulus fidei, ac purè credatur: & vtrum creatio rerum fuerit in principio temporis. Sed quia in Philosophia in lib. de cælo, & mundo qu. 1. satis examinauimus ista puncta, quærentes, vtrum mundus, vel aliqua creatura fuerit, vel potuerit esse ab æterno, nihil hic est addendum. Transimus ergo ad explicandam doctrinam sequentium quæstionum 47. 48. & 49. & c. in quibus agitur de vnitæte mundi, ac de causâ multitudinis, distinctionis, & inæqualitatis rerum, ac de causâ mali.

QVAESTIO CXXI.

Vtrum multitudo, distinctio, & inæqualitas rerum sit à Deo?

S. Th. qu. 47. art. 1. & 2.

1. **P**rimo videtur, quod multitudo, & distinctio rerum non sit à Deo. Vnum enim semper natum est facere vnum; sed Deus est vna causa efficiens, exemplaris, & finalis omnium rerum; ergo non producit nisi vnum effectum, ac proinde multitudo, & distinctio rerum non est à Deo.

2. Secundo videtur, quod inæqualitas rerum non sit à Deo. Æqualitas enim est effectus vnitatis, vt dicitur 5. Metaphys. t. 30. sed Deus est maximè vnus, imò est ipsa vnitas; ergo fecit omnia æqualia.

3. Tertio optimi est facere optima; sed Deus est optimus; ergo Deus fecit optima; sed optima sunt æqualia, nec vnum optimum est melius altero; ergo Deus fecit omnia æqualia.

4. Quarto ad iustitiam pertinet, vt æqualibus det æqualia; sed ante creationem rerum omnia erant æqualia; ergo Deus omnia fecit æqualia.

5. Respondeo plures fuisse errores philosophorum, & hæreticorum circa causam multitudinis, distinctionis, & inæqualitatis rerum, quos errores refert, & rejicit Sanctus Thomas art. 1. & 2. huius quæstionis 47. Primus error est Democriti, & antiquorum Physicorum, qui non ponentes aliam causam rerum, quam materialem, hoc est infinitas atomos, seu corpuscula, quæ casu moueantur infinito tempore, dixerunt corpuscula casu mota, ac diuersimodè combinata, fuisse causam multitudinis, distinctionis, & inæqualitatis rerum, dum vno modo combinata constituerunt hominem, alio modo combinata constituerunt leonem, & varia genera plantarum, animalium &c.

6. Secundus error fuit Anaxagoræ, qui posuit duas primas causas rerum, materiam nimirum vt causam materialem, & intellectum vt

causam efficientem, ac docuit in materia omnia esse confusa, intellectum autem ex materia extrahere quæ sunt permixta, ac illa distinguendo, & diuersimodè ordinando, causare multitudinem, & distinctionem rerum.

7. Tertius error est Auicennæ, qui existimauit causam multitudinis, distinctionis, ac inæqualitatis rerum non esse Deum, qui est causa prima, sed causas secundas, hoc est Intelligentias creatas à Deo. Docuit igitur Deum, intelligendo se ipsum, produxisse primam Intelligentiam, quæ cum non sit suum esse, constat ex potentia, & actu. Primâ Intelligentia, in quantum intelligit Deum, produxit secundam Intelligentiam: in quantum intelligit se ipsam secundum id, quod habet de potentia, produxit corpus cæli quod mouetur: in quantum intelligit se ipsam, secundum id, quod habet de actu, produxit animam cæli. Proportionaliter philosophatus est de productione, ac distinctione aliarum rerum.

8. Quartus error est Manichæi, & Manichæorum, qui dixerunt causam distinctionis, & inæqualitatis rerum esse duo prima principia contraria, alterum bonum, alterum malum, ita vt principium bonum sit causa entium bonorum, ac purè intelligibilem, principium malum sit causa malorum, hoc est rerum corporearum, & sensibilibus.

9. Quintus error est Origenis, qui vt excluderet duo prima principia contraria, quæ essent prima causa distinctionis, & inæqualitatis rerum, docuit Deum creasse ab initio omnia æqualia, imò ab initio creasse solas creaturas rationales, easque omnes æquales; creaturas autem rationales per liberum arbitrium inæqualiter operantes fuisse causas distinctionis, ac inæqualitatis rerum. Ex creaturis igitur rationalibus, quæ à Deo creatæ fuerunt æquales, aliquæ per liberum arbitrium se conuerterunt ad Deum magis, aut minus, & istæ pro diuersitate meritorum promotæ sunt ad diuersos, & inæquales ordines Angelorum: aliquæ auersæ sunt à Deo, & peccarunt, quædam magis, quædam minus, & istæ in poenam alligatæ sunt varijs corporibus, tanquam carceribus pro diuersitate peccati, & hæc fuit causa, propter quam Deus produxit varia genera corporum, vt quælibet creatura rationalis haberet carcerem suo peccato proportionatum.

10. Propositis his erroribus, quorum absurditas ex se satis patet, impugnat illos Sanctus Thomas. Primò igitur contra errorem Democriti, qui dixit primam causam distinctionis rerum esse materiam, seu atomos casu motas æterno tempore est, tum quia ipsa materia non est à se, sed creata est à Deo, vt dictum est supra quæst. 1. ergo prima causa distinctionis rerum non est materia, sed Deus, qui produxit ipsam materiam: tum quia, vt ostensum est supra quæst. 16. nu. 8. & sequentibus,